

12.



OB 46
42

DE
PEREGRINATIONE
ORATIONEM GEMINAM

SVB FINEM EXAMINIS SOLENNIS
XIV APRILIS POST PRECES MERIDIANAS
IN SCHOLA EPISCOPALI
AVDIENDAM

INDICIT
M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
RECTOR.

C I Z Æ

Exscripsit Fridem. Hetsädt / Ducal. Sax. Numb. Typogr.

Tertull. de Corona cap. III.

Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de
geniculis adorare. Eadem immunitate a
die Paschæ in pentecosten usque gaudemus.



Uemadmodum primæui Christia-
ni *secundum traditionem Apostolorum*, vt Hierony-
mus censet Epist. LIII ad Marcellam, *quadrage-
simam* siue quadraginta dies, qui Pascha antece-
dunt, *ieiunando* exegerunt, vt Seruatoris suppli-
cia digniori meditatione expendi considerari-
que possent: ita iidem totum illud tempus, quod Pascha in-
ter & Pentecosten est, in hilarem triumphalis Resurrectionis
memoriam exultatione & piis gaudiis tanquam vnum fe-
stum diem seu Pascha continuum celebrari consumique vo-
luerunt. De quo ne dubitari forsan a quoquam possit, Ter-
tulliani & Ambrosii testimoniis sententiam nostram confir-
mabimus. Ille aduersus Psychicos cap. XIV, *Cur Pascha,*
inquit, *celebramus annuo circulo in mense primo? cur quinquaginta*
exinde diebus in omni exultatione decurrimus? hic in Cap.
XVII Lucæ, *Ideo maiores,* ait, *tradiderunt nobis Pentecostes o-*
mnnes quinquaginta dies vt Pascha celebrandos, quia octauæ heb-
domadis initium Pentecosten facit. Quam pietatem hodieque
secuti intempestiuum putauimus, aliud hoc tempore medi-
tari vel recensere, quam quod victoriam triumphatoris Chri-
sti extollat, & nostræ liberationis augeat conseruetque læti-
tiam. Nihilominus quia adolescentes illi, qui finem solenni
Examini declamatiunculis imposituri sunt, simulque *Vale* di-
cturi cum Scholæ, tum omnibus, quibus se debere intelli-
gunt accepta beneficia; sponte sua *Peregrinationis* argumen-
tum elegerunt, forsan illustrissimo exemplo illorum inducti,
quos subiectissime colimus, iisque precum votorumque of-
ficia quotidie præstamus; nolimus proposito istorum stu-
dioque deesse, aut cursum abrumpere, quem non inauspica-
to iniisse, nec pigro adhuc gradu promouisse videbantur. Id
tamen nobis liceat antiquæ religioni piæque consuetudini
dare, vt, quæ maiorum ritu præmittenda sunt antequam au-
ditores aduocemus, non aliunde, quam ex iis vel historiis
vel

vel rebus gestis repetantur, quæ ad sacrum hoc tempus præcipue pertinent, & Christi Christianorumque victoriam insigniter declarant. Ita enim animum instituimus, vt ciuilia etiam aut profana studia, subinde ad sacrum vsum reducamus, nostrisque cum præcipiendo, tum exhortando, pietatis Christianæ semper auctores simus. Peregrinatio nostris curæ est: peregrinationis igitur sacratiorem vsum ostendemus, & eum quidem, qui sit præsentis temporis. Inprimis mirifice adfecerunt nos, quæ nobilissimus peregrinator *Guilbertus* per fratrem doctissimum de Christianorum in Græcia moribus, præsertim quos festo die Paschatis præ se ferunt, consignari litteris voluit. Postquam enim in *Lacedæmonis Antiquæ ac Novæ lib. III. p. 256.* monstrauerat, quanta lætitia Christiani Misithrenses (Misithram autem multi in loco veteris Spartæ credunt sitam esse,) impetrata a Turcico præfecto facultate, summo Paschatis mane sclopetas integris quatuor horis, antequam ad sacra coeatur, copiosissime explodant, subiicit p. 257 hæc notabilia verba: *mais leur joye ne se borne pas à ces mousquetades. Tous ceux, qui se rencontrent dans les rues, se vont embrasser & se baisent, se disant l'un à l'autre avec un pieux transport, CHRISTOS ANESTI, Christ est ressuscité: hoc est: Illorum vero lætitia nequaquam finitur bombardarum sono. Omnes qui concurrunt in plateis, se mutuo amplexi osculantur, dicentes inuicem cum pia animi lætitia, Χριστός ἐπέστη, Christus est resuscitatus.* Incredible est, quantopere nos hæc pietas recentium Græcorum commouerit. Videbamus nobis priscos illos Apostolorum discipulos & audire & videre gratulantes sibi de Christi resurrectione, vnde cunctam salutem suam & felicitatem pendere ex Apostoli ad vicinos Corinthios Epistola non intellexerunt modo, sed gestu & voce etiam prædicarunt publice. Sic peregrinando obseruantur, quæ pie nos moueant, sanctamque & simplicem antiquitatem in memoriam reuocent. Et quoniam
niam

niam Christo victore atque auspice ipsi quoque Christiani vincunt; de horum nobilissima & vere miranda victoria, quam non armis, sed precibus M. Aurelio Antonino, Romano Imperatori, contra Quados & Marcomannos impetrauerunt, disquiremus aliquid, quod vix aliunde rectius, quam peregrinatione diiudicari poterit. Tam graue Romanis fuit Marcomannicum bellum, vt cum Punicis conferri posse Eutropius noster censeat, quippe ita conclusus erat Romanus exercitus, vt siti periturus fuisset, nisi precibus effecissent Christiani, vt inhostes grando atque fulmina; in Romanos largissimus isque diu exoptatus imber de cælo deiiceretur. Eusebius lib. V. Histor. Eccles. cap. V precatores hosce τοὺς ἐπὶ τῆς μελιτινῆς ἔτους λεγομένης λεγεῶν στρατιώτας, hoc est *Melitinae legionis milites*; Xiphilinus in hoc Imperatore, τάγμα τῶν ἀπὸ μελιτηνῆς στρατιωτῶν *legionem ex militibus Melitenis* vocat, illeque ita ab vrbe, cui imposita fuerat; hic a regione, ex qua conscripta fuit, legionis cognomen deducit. Henricus Valesius, vir magno ingenio, in Euseb. Annotationibus Xiphilini sententiam præferendam putat, quod Melitene, Cappadociae regio, Strabone teste nullas vrbes habuerit. Non autem nobis id argumentum validissimum videtur, quia Ptolemæus, Marci Imperatoris σύγχρονος, vt Suidas prodidit, lib. V cap. VII, Melitenæ regioni cum alias, tum cognominem urbem μελιτήνην *Melitenen* adscribit, quam a Traiano conditam, cum antea tantum castrorum locus fuisset, Procopius tradit lib. III de Ædific. cap. IV, cuius etiam Ammianus Marcellinus aliquoties mentionem fecit. Esto vero a regione potius, quam vrbe nomen traxisse, & ἀπὸ Xiphilini præstare Eusebiano ἐπὶ, quod secus videtur Cl. Salmasio, qui in Capitolini Marcum [c. 24] notatis, ἀπὸ Xiphilini ex ἐπὶ Eusebii corrigendum censet; id tamen miramur, quod cum omnium forsan legionum nomina in vetustis inscriptionibus reperiantur, nusquam legatur nomen

men Melitenæ, & ne quidem in Marci huius epistola ad Se-
 natum, quanquam supposititia, quæ Iustini Martyris Apolo-
 giæ annecti solet, cum reliquis legionibus commemoratur.
 Vnde Scaliger ad Euseb. Chron. f. 204 *Melitenes*, inquit, *le-*
gionis memoria omnis intercidit. Sed & alterum cognomen
 legionis inspiciendum est. Eusebius ex Apollinaris Christiano
 scriptore, refert, δι' εὐχῆς τὸ παράδοξον πεποιηκῆσαν λεγεῶνα οἰκείαν
 τῷ γεγονότι πρὸς τὴ βασιλείῳ εἰληφέναι προσηγορίαν, κεραυνοβόλον τῆ Ρω-
 μαίων ἐπικληθεῖσαν Φωνῆ, *legionem ipsam, cuius precibus miracu-*
lum perpetratum est, congruente rei nomine ab imperatore cogno-
minatam esse Latine FVLMINEAM. Huic repugnat, quod
 Dio Cassius in recensione legionum Augusti lib. LV [f. 564
 ed. Hanov.] scripsit, τὸ δωδέκατον τὸ ἐν Καππαδοκίᾳ τὸ κεραυνοφόρον,
duodecima [Legio] in Cappadocia, Fulminifera. Locus satis
 conuenit cum priori cognomine, quia Melitene pars olim
 Cappadociæ fuit, postea Armeniæ Minori adscripta. Quis
 ergo Marcus imponere nouum cognomen potuit, quod
 iam dudum Augusti æuo huius legionis fuerat? Xiphilinus
 inuidiæ tribuit, quod Dio per anticipationem quasi ad Au-
 gusteum seculum hoc nomen reiecerit, ἔκ ἡγνόη, inquit,
 τὸ γὰρ τῶν στρατιωτῶν τὸ κεραυνοβόλον ἰδίως καλεῖσθαι ὅπερ ἀπὸ ἕδε-
 μιᾶς ἑτέρας αἰτίας (οὐδὲ γὰρ ἄλλη τις λέγεται) ἢ ἀπὸ τῆ κατὰ τὸνδε
 συμβάντος τὸν πόλεμον ἔτω προσηγορεύθη, *non ignorauit, legionem*
militum, quæ Fulminatrix appellatur proprio nomine, ex nulla
alia causa (neque enim alia circumfertur) quam ex ea, quæ in isto
bello accidit, id nomen accepisse. Sed tantus non est Xiphili-
 nus eruditus, ut Dionem, grauissimum scriptorem, Legio-
 num nomina sub Augusto non iuste dispensasse persuadeat,
 nisi alia & ea firmiora argumenta superaddi potuerint. Ex-
 stant vetustæ Inscriptiones, quæ LEG. XII. FVLM. memo-
 rant, e. g. apud Gruterum f. 513. Reinesium f. 531. sed incertæ
 ætatis sunt pleræque, præter vnam, quæ magnis viris videtur
 litem hanc componere posse. Ea Tergestina est, ita a Gru-
 tero f. 193. & Scaligero c. l. proposita:

Q. PE.

Q. PETRONIVS. C.F. PVP. MODESTVS. P. P. BIS
LEG. XII. FVLM. ET. LEG. I. ADIVTRIC. TRIB. MIL. COH. V. VIC.
TR. COH. XII. VRB. TR. COH. V. PR. PR. DIVI. NERVAE. ET. IMP. CAES
NERVAE. TRAIANI. AVG. GERM. PROVINC. HISPANIAE. CITER. ASTVRIAE. ET
CALLAECIARVM. FLAMEN. DIVI. CLAV. DEDIT. IDEMQVE. DEDICAVIT

Hæc si genuina est & antiqua; iam tum Traiani tempore
Fulminatricis legionis nomen fuit, nec demum a Marco Au-
relio Christianis militibus impositum. Sed diligentissimus
vir Io. Glandorpius in Onomatol. Rom. Hist. f. 675 eandem
quidem ex Tergestino marmore inscriptionem dat, in ipsa
autem voce, quæ rem tantam probare debet, diuersus a Gru-
tero est, & pro FVLM. exhibet FLAM. vt de hoc etiam ar-
gumento, quod ex lapide petatum fuit, dubitari omnino pos-
sit. Quis itaque non intelligit, a peregrinantibus litem com-
poni posse, cum, Grutero teste, lapis ille Tergeste Venetias
aduectus sit, quem qui inspexerit, facile dignoscet litterarum
ductus, *Flaminia*, an *Fulmineæ* legionis cognomen repræsen-
tauerint. Sed quod paucis hanc Corinthum adire contigit,
libris interim & coniecturis contenti erimus, & quantum fi-
eri potest, exinde dubitationi consulemus. *Flaminia* legio-
nis nomen, quantum nobis constat, insolens est: *Fulmineæ*
autem multis monumentis comprobatum. Deinde in nu-
mero XII Glandorpio cum Grutero & Scaligero exacte con-
uenit: at vero *Fulmineæ* hic character fere proprius est, vt ex
multis patet inscriptionibus. Quod enim *Fretensis* hoc nu-
mero insignita est apud Reinesium p. 521. id mendo non ca-
ret, & X pro XII legendum esse, ex multis exemplis, [X
FRETENSIS] quæ Gruterus protulit, confirmari potest.
Quæ cum ita sint, & numerus idem, qui est in ceteris mar-
moribus, etiam in Tergestino sit, ex Traiani seculo, & insu-
per calculus Dionis Cassii adiiciatur; probabile omnino est,
etiam ante Antoninorum tempora *Fulminatricem* legionem
existisse. An vero præter illam etiam *Melitena* miraculi caus-
sa ita vocata fuerit, vt duæ essent *Fulmineæ*, quemadmodum
plures

plures erant *Gemina*, *Victrices*, *Parthica*; denuo disquiri potest: Id vero non placet Valefio, quod ita non simpliciter FVLM. sed addito numero II FVLM. appellari debuisset, cuius numeri nec in lapidibus, neque apud scriptores Christianos vllum exstat vestigium. Eandem autem esse, quam Christiani *Melitenam*, lapides *Fulminatricem* seu *Fulmineam* vocant, ex Notitiæ Imp. verbis sub Dispos. Ducis Armeniæ f. 232 [*Præfectura Legionis duodecimæ Fulmineæ, Militenæ,*] probari potest, quæ ita certa & *γνωσις* antiquitatis esse Valefius existimat, vt Onuphrium & Scaligerum carpat, quod *Fulminatricem* appellent, quæ cum Notitiæ auctore appellanda sit *Fulminea*. Verum summos viros tuentur & absoluunt tres inscriptiones apud Gruterum p. 547. n. 6. p. 567. n. 10. & p. 1090. n. 13. in quarum singulis expressum est LEG. XII. FVLMINAT. quod aliter nemo facile legerit, quam *Fulminatrix*. Sed hactenus de legione disputauimus, vt vsus peregrinationum in sacra etiam historia comprobaremus, non vt miraculi fides suspecta redderetur, cuius testes satis digni sunt Tertullianus Apolog. cap. V. & Apollinaris cit. Eusebii loco: vt de profanis Capitolino & Claudiano poeta taceamus.

Nunc ad declamatores nostros reuertimur, qui quod a pueris initiati fuerunt Musarum nostratium sacris, & eo vsque studiorum cursum promoverunt, vt digni videantur, qui in Academiam dimitti auspicate possint, tanquam frugi homines & industrii, nec minus moribus compositis, quam ingenio commendandi; die crastini supremum in Schola officium præstabunt, & quidem.

CHRISTIANVS Pitzschel / Cizensis,
Peregrinationem, quantum potest, *commendabit*: alter vero
 GODOFREDVS Gröbe / itidem Cizensis,
Obstacula remouebit, quæ obiici vulgo peregrinationi solent: vterque *beneficiorum memoriam* non ingrati superiniiciet. Hos vt Patroni Fautoresque nostri beneuole audiant, officiose & obseruanter obsecramus ac obtestamur: dicessuris autem rerum studiorumque successus felices appetamur. P.P. Cizæ Idibus April. M DC LXXXIV.


No 3165

80

1007

1007







5646
42

E
NATIONE
M GEMINAM
MINIS SOLENNIS
PRECES MERIDIANAS
EPISCOPALI
ENDAM
DICT
RVS CELLARIVS,
TOR.

Z Æ
Ducal. Sax. Numb. Typogr.

rr.

